

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 2

1. Translate:

Cassandra has a vision of Agamemnon's murder as he is being killed.

[Ca.] Res agitur intus magna, par annis decem.

eheu quid hoc est? anime, consurge et cape

pretium furoris: uicimus uicti Phryges.

bene est, resurgis Troia; traxisti iacens

pares Mycenae, terga dat uictor tuus!

tam clara numquam prouidae mentis furor

ostendit oculis: uideo et intersum et fruor;

imago uisus dubia non fallit meos:

spectemus! epulae regia instructae domo,

quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,

celebrantur: ostro lectus Iliaco nitet

merumque in auro ueteris Assaraci trahunt.

et ipse picta ueste sublimis iacet,

Priami superbas corpore exuuias gerens.

Detrahere cultus uxor hostiles iubet,

induere potius coniugis fidae manu

textos amictus – horreo atque animo tremo:

regemne perimet exul et adulter uirum?

uenere fata. sanguinem extremae dapes

domini uidebunt et cruor Baccho incidet.

mortifera uinctum perfidae tradit neci

induta uestis: exitum manibus negant

caputque laxi et inuui cludunt sinus.

haurit trementi semiuir dextra latus,

nec penitus egit: uulnere in medio stupet.

(Seneca)

2. Prepare:

When building the new city of Rome on the Palatine Hill, Romulus offers due worship to the gods and to Hercules, who famously in that very spot had got the better of the thieving shepherd Cacus.

Palatium primum, in quo ipse erat educatus, muniit. sacra dis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Evandro instituta erant, facit. Herculem in ea loca Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluuium, qua prae se armentum agens nando traiecerat, loco herbido ut quiete et pabulo laeto reficeret boves et ipsum fessum via procubuisse. ibi cum eum cibo uinoque gravatum sopor oppressisset, pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum cum avertere eam praedam vellet, quia si agendo armentum in speluncam compulisset ipsa uestigia quaerentem dominum eo deductura erant, aversos boves eximium quemque pulchritudine caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus cum gregem perlustrasset oculis et partem abesse numero sensisset, perguit ad proximam speluncam, si forte eo uestigia ferrent. quae ubi omnia foras versa vidit nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum ocepit. inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus claua fidem pastorum nequiquam invocans morte occubuit.

(Livy)